



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

4. De eodem Christi baptismo

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

III. Ioannes appropinquanti Iesu ait: Ego à te debeo baptizari, & tu uenu ad me? cui Dominus: Sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiam, tunc dimisit illum. Quanta reuerentia & humilitas fuerit Ioannis, tam clarè propriam vilitatem, & infinitam Christi maiestatem intuentis? quanta simul obedientia nutui Christi, ne verbulo quidem ampliùs reluctantis? at quantò maior Christi humilitas eò usque se demittentis? quantò item maior obedientia non solum ad hunc baptismum fluminis, sed etiam ad baptismum sanguinis & passionis se ultrò æterno Patri offerentis! Gratitudo, amor, zelus imitandi illam humilitatem, obedientiam, amorem crucis.

De eodem Christi Baptismo.

IV.

I. **C**Hristi sic baptizari dignati stupenda humiliatio, clarificatur à Patre æterno triplici indicio, 1. Aperi sunt ei cæli, ad indicandum de cælo ipsum venisse, vt nobis viam ad cælum aperiret, & arcana cœlestia reuelaret. 2. Descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum, ad significandum, super ipsum veluti florem Iesse requiescere septi- *Isa. II,* formem Spiritus sancti gratiam, & per ipsum,

Gen. 8.

ipsum, quem præfigurabat columba ex arca Noë emissa mundum ab eluui-
ne peccatorum liberandum. 3. Vox
de cælo audita: *Hic est Filius meus di-*
lectus, in quo mihi complacui. Filius non
adoptione, sed naturâ; non regenera-
tus ex aquâ, sed ante Luciferum geni-
tus, in splendoribus Sanctorum; dile-
ctus, quâ homo, vnicè, quia facit, quæ
mihi placita sunt semper; infinitè, quâ
Deus, in quo mihi sic complacui, vt
nullus mihi placeat, nisi per ipsum, &
propter ipsum, eo que sit mihi quisque
charior, quò illius imagini fuerit con-
formior. Congratulatio de gloria
Christi, gratitudo pro tot charismatis
per ipsum nobis collatis, amor, & ze-
lus imitandi.

3 p. 9. 66.
ar. 3.

II. Christus tunc quoque suum ve-
rum baptismum per Ioannis bap-
tismum præfiguratum, secundum D.
Thomam, instituit, aut certè innuit,
qui in nomine trium diuinarum per-
sonarum ibi apparentium conficitur,
& hos tres effectus habet, vt cælum
aperiat; Spiritum Sanctum, eiusque
dona conferat; filios adoptionis gra-
tos & dilectos æterno Patri efficiat.

Quanta gratitudo debetur Christo
aquis in lauacrum regenerationis san-
ctifi-

ctificanti, pro tam facili remedio ad tam præclaros effectus obtinendos pro omnibus instituto? Gratitude, feruor baptismalem gratiam illibatam conseruandi.

III. Christus vicissim, vt piè credi potest, Ioannem baptismo abluit, sicq; eius votum: *Ego à te debeo baptizari*, impleuit, quanta cum illius exultatione, humilitate, gratitudine? quò maioribus noue gratiæ, & cœlestium donorum fauoribus auctum se sensit, eò feruentius prædictos affectus excitauit. Zelus in his illum æmulandi.

De secessu Christi in desertum.

V.

Matth. 3.

I. **C**Hristus sic à Patre clarificatus, declinans plausum hominũ, impulsusq; Spiritus sancti sequens, statim secessit in desertum. Quanto desiderio illuc anhelarit, tum, vt liberius, absque vlla interpellatione, diuinæ contemplationi vacaret, tum, vt futuris eremi cultoribus, vitæ solitariæ & contemplatiuæ; & vitæ mixtæ sectatoribus prolixioris subinde saltè cum Deo in deuotionis exercitijs congressus instituendi luculentum exemplum daret. Gratitude, zelus in his imitandi.

H h

II. Man-